



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Annotationes Ioannis Bugenhagij Pomerani in decem epistolas Pauli**

**Bugenhagen, Johannes**

**Basileae, 1524**

**VD16 B 9232**

Capvt I.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36165**

IN EPIS. PAULI AD THESS. 47

duobus cap. 2 & 3. latēter notās q̄ sint pseudapostoli, nempe qui adulantur, quærentes sua commoda & honorē. Sunt & alij loci in hac epistola, ut ille, Quod impij semper proficiunt in peius, usq; ad consummatā iram dei. Sed hic locus paucis est indicatus cap. 2. his uerbis: Vt expleant, inquit, peccata sua &c. Itē cap. 4. est locus de scortatione, quam abominatur deus: et de sanctificatione, quam solum uult deus. Item de inordinate uiuentibus, cap. 4. Obsecramus autem &c. sed hic locus expressius scribitur in epistola 2. cap. 3. Præterea hic habes mysterium reuelatū de dormientibus, & resurrectione nouissima, cap. 4. & de incerto die aduentus Christi, cap. 5. Vbi & docet nos semper ad eum diem oportere esse paratos.

CAPVT I.

Paulus & Siluanus & Timotheus:

Qvum hæc epistola sit Pauli, non tamē ipse Paulus dedignatur cōsortes facere epistolæ, quos consortes habet ministerij uerbi: non sibi soli adrogās magisterium, ut ij qui sua quærent: didicerant enim à Christo, Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Itaq; dei apostoli nihil aliud curāt, quàm ut ministerium suum compleant, prædicando uerbum in gloriam dei, nihil solliciti de sua uel gloria uel ignominia.

ANNOT. IOANNIS POMERANI  
Ecclesie Thessalonicensium &c.

Quia etiam legimus in sacris scripturis ecclesiam  
malignantium, synagogam satanae, congregationem  
ps 21 | taurorum & vitulorum &c. Additum hic est, in deo  
patre nostro, & domino Iesu Christo: id est illi eccle-  
siae siue congregationi, quae est congregata in deo &c.  
quae habet promissionem, Matthaei 18. Vbi duo uel  
tres, &c.

Gratia uobis & pax.

Gratia

Gratiam & pacem semper coniungit Paulus, ut quae  
ita cohaereant ut separari non possint. Gratia est, quod  
remittitur nobis omne peccatum à deo per Christum  
sine omni nostro merito, modò hoc credamus: quam  
gratiam necesse est, ut comitetur pax conscientiae, quae  
alioqui quiescere non potest, nisi credat sibi dimissa  
esse peccata.

Gratias.

Gratulatio est, quae gaudet de profectu eorum, qui  
audierant uerbum salutis. Ex qua discimus exemplo  
Pauli, Siluani & Timothei, boni pastoris esse, non solum  
pascere uerbo (id quod in primis necessarium est)  
uerum etiam gratias agere de profectu ouium, ut no-  
rit omnia eorum referre, unde profecta sunt. Insuper  
orare, ut permaneant, & magis crescant in fide & spe  
domini nostri Iesu Christi, ut norit omnia inde petens

da, ubi uerè sūt. id est à deo. Hæc oīa didicimus à Chri-  
 sto, & in Christo uidimus: cuius tota uita nihil aliud  
 fuit quàm doctrina, qui et uerba uitæ (sicut Petrus ait  
 Io. 6) nobis ministravit, q̄ reuersus quandoq; ex præ-  
 dicatione pro discipulis gratias egit patri, dicēs: Con-  
 fiteor tibi domine pater cœli & terræ &c. Luc. 10. Orationes  
 Præterea totas quandoq; noctes orauit, nō dubiū qn̄ Christi quæ  
 pro nostra salute. Nam quales eius orationes fuerint, les fuerint.  
 uel illa nouissima oratio, quam legis Ioan. 17. sit ar-  
 gumento.

Propter opus fidei &c.

Propter duo eis gratulatur, in quibus summa est to-  
 tius christianæ rei. Alterum est sollicitudo in fratres,  
 id quod uocat opus fidei, & laborem charitatis: alte-  
 rum est quod permanserint in fide, etiā damnis & in-  
 iurijs adfecti, sicut cap. 2. uides, ubi dicitur, Vos estis  
 imitatores &c. In aduersis enim probatur fides, sicut  
 dicitur ad Rhom. 5. Tribulatio patiētiam operatur,  
 patientiæ probationem, probatio spem, spes uero non  
 confundit. Porrò qui in tentationibus & persecuti-  
 onibus cadunt, & negant quod antea professi sunt, in  
 illis fuit aut mera hypocrisis: ut de quibus Christus di-  
 cit, Qui ad tempus credunt, & in tempore tentatio-  
 nis recedunt. Aut magna adhuc infirmitas, quam ipsi  
 nescierunt. ut uides in Petri negatione, quibus utile fis-  
 erit cecidisse, quod sine tali casu salui esse nequeant.

ANNOTAT. IOANNIS POM;

Expedi enim eis, atq; adeò necessariū est ad salutē,  
ut discant nosse sese, & sitire salutem, quam ex se ha-  
bere nequeunt: quibus consolationi sit quod Christus  
ait, Non ueni uocare iustos, sed peccatores. Igitur hic  
eleganter additum est, Coram deo & patre nostro:  
quo significat non hypocrisin fuisse fidem prius pro-  
fessam: sed uerè credentes fuisse in cōspectu dei, qui pa-  
ter noster est, quæ sua in nos benignitas est. Nihil nos  
magis constantes facit in omnibus aduersis, quàm ut  
cogitemus, & sciamus bonā esse patris nostri uolūta-  
tē q̄ patimur. Vnde uoluntas nostra mortificetur, &  
discamus patris nostri amplecti uoluntatem, quem ad  
modum & oramus, Pater noster, fiat uoluntas tua.  
Quin & hoc aduertendū diligentius, quod beneficia  
in proximum exhibita, uocat opus fidei, & laborem  
Opus fidei charitatis est. Opus enim est & labor id quod dicitur cō-  
tra illos, qui dilectionem solum esse putant amicas sa-  
lutationes, iucundum cōuictum, &c. Sic enim dicit Io-  
annes epist. 1. cap. 3. Filioli mei, nō diligamus uerbo,  
neq; lingua, sed opere & ueritate. Opus autem est fi-  
dei, q̄a eleemosyna, quantumcūq; copiosa, absq; fide  
peccatum est. Rata est enim sentētia Pauli, Quicquid  
non est ex fide, peccatum est. Et in epistola ad Heb. Si-  
ne fide impossibile est placere deo. & Christi: Non  
potest arbor mala bonos fructus facere. Item: Sine me  
nihil potestis facere. Sine Christo est, qui sine fide est:  
ergo

ergo sicut omnia opera necesse est ex fide fieri, modo placere deo per ea uelis, ita quoque cleemosynā. Opus ergo fidei est, quod in extremo iudicio hanc audiat sententiam, Esuriui etc. Quid enim aliud est quod dicit, Dedistis mihi: quod ex fide fecistis, id est mihi in hoc placere studuistis? Deinde et laborem dicit charitatis, id est qui ex charitate uenit, hoc est, quo ex animo bene facis proximo indigenti. Non sit dilectio et charitas simulata uel ficta, quae semper charitas etiam externo exhibita opere uult uideri. Non dico solum de illis, qui hodie adseruant in corde, quibus deus seruat omnia ipsorum peccata: ut habes in parabola Matth. 18. sed etiam et multo amplius de ijs qui simulatione charitatis pie coram hominibus uolunt uideri: contra quos docet Christus Matt. 6. Attēdite ne iustitiam uestrā, etc. Hoc autem opus fidei, et hunc laborem charitatis, cum aliās, tum uel maxime experieris, cum re ipsa tibi diligendus fuerit is, qui te laesit inimicus. Tunc enim uidebis quid possunt in te fides et charitas.

## Scientes &amp;c.

Insignis est hic locus, quod qui uere susceperunt euangelium, certi sunt se esse in gratia. Id autem fit sic, ex auditu fidei spiritus concipitur, ut dicitur ad Galat. 3. id est ex uerbo dei audito, et fide credito datur spiritus in cordibus uestris. Hoc uerbum est promissio dei, gratis promittēs remissionem peccatorum per Christum:

ANNOTAT. IOANNIS POM.

Spiritus autem dei, ita ex auditu fidei cōceptus, testi-  
ficatur, & testimonium reddit spiritui nostro in cor-  
dibus nostris, quod sumus filij dei: ut dicitur ad Rho-  
s. In quo spiritu clamamus, abba pater. Hæc est sciē-  
tia Christiana, hæc est uirtus, efficatia spiritus & cetera  
titudo, de qua hic dicit Paulus: Hæc est petra, supra  
quam ædificata domus nullis cedit tempestatibus, ne  
portis quidem inferorum. Miraris ista? Sed ubi inter-  
rogo te, num credas remissionem peccatorum: re-  
spondebis, credo. Iterum rogo te, num credas tibi re-  
missa esse peccata: hic si hæsitaueris, mentitus es quan-  
do dixisti, credo. Si uero & hic ex corde responderis,  
credo: interrogo qua fiducia credas, cum sis peccator,  
cui debeaturn damnatio? Hic uero tibi sic sentiendum  
est: Si in opera mea respicio, peccator sum & damna-  
tus, opera inquam non solum mala, sed etiam bona,  
quia eis fidere non possum: quia quantumcunq; ieiu-  
nauero, orauero, elemosynam dedero, nunquam con-  
sciētia mea quiescit, quasi per hæc sint mihi indulta  
peccata. Semper enim nutabunda aliud atq; aliud sub  
inde desyderabit conscientia in uita mea, & meis ope-  
ribus. Si uero in promissionem dei respicio, id est in  
gratiam siue euangelium, tam certus esse debeo de  
gratia & remissione peccatorū, quàm certū est cum  
mentiri non posse qui promisit. Et ista fides imputabi-  
tur mihi ad iustitiam. Dum enim tribuo deo ueritatē,

*Sp. ex auditu  
fidei*

*Efficitur sp. s.  
& p. uirt.  
in d. i. 1. 1. 1.*

ipse mihi reddit iustitiam. Hæc est iustitia dei, qua saluor. Vnde sæpe in Psal. In tua iustitia libera me domine. Contrà de humana iustitia dicitur: Non iustificabitur in cõspectu tuo omnis uiuens. Ecce hoc habet apostolus ad Rhom. 4. Ideo, inquit, non ex operibus, ut secundum gratiam firma sit promissio. Hæc est securitas & fiducia conscientie in conspectu dei, quã reuelandam olim prædixerunt prophete. De qua certitudine lege plura in locis Philippi de charitate & spe.

### Quemadmodum nostis, &c.

Testes inuocat pro se conscientias auditorum, quæ est magna fiducia doctoris, &c. De qua re plura scribit capite sequenti.

### Recipientes sermonem, &c.

Exponit quod supra dixit, non per sermonem solũ, uerumetiam per uirtutem, &c. Sermo enim auditus non admixtus fide, non prodest, ut dicitur ad Heb. 4. Idcirco saluator dicit, Qui habent aures audiendi audiunt. Nihil aliud est, recipientes sermonem, quàm credentes sermoni, quasi uero efficaciter receperint sermonem, addit: Cum ad afflictione multa, cum gaudio spiritus sancti. Atq; hic habes serè uno uerbo comprehensam illam, quæ adparet in scripturis serè omnibus dissonãtiam. Alibi enim legis, ut Christum: ita & Christianum populum, miserum, pauperem, adfluctũ, morti destinatum, sicut ouis occisionis, & nihil aliud,

ANNOT. IOANNIS POMERANI

nisi meras formas crucis. Alibi uero eundē siue Christi-  
stum, siue populum christianum gloriosum, diuitem,  
pacis & securitatis abundantem: quoniam & leticia  
immortali & aeterna plenū. Hoc ita uides sepe in san-  
ctis & prophetis. Nec hoc interdico solū, quod oportet  
Christū pati, & ita intrare in gloriam suam: &  
quod Christiani cruce huius temporis intrant in glo-  
riam uitae futurae: uerum etiam hoc, quod intra adfli-  
ctiones est ista gloria. Nam ita hic dicitur, percipien-  
tes sermonem cum adflictione multa, cum gaudio spi-  
ritus sancti. Et ad Rhoma. 5. Gloriamur etiam in tri-  
bulationibus, scientes &c. Gloriamur etiā in deo per  
dominum nostrum Iesum Christum, per quem nūc re-  
conciliationem accepimus. & ad Galat. 6. Mihi autē  
absit gloriari &c. Quem enim diligit dominus, corri-  
pit &c. ad Heb. 12. Hoc Christus in Ioan. sic expres-  
sit: In mundo pressuram, in me pacem habebitis. Hoc  
est quod ad Coloss. 3. dicitur, Pax dei triūphet in cor-  
dibus uestris: ad quam uocati estis in uno corpore, id  
est etiam si quid molestiae à fratribus sustinetis, tamē  
illa pax dei superet eam. Adflictio quidem est mundi,  
& portarum inferorū in probris, damnis, poenis, tur-  
batione conscientiae ob peccata, & dei iudicia: id est  
carnalis est, & temporaria. Cōsolatio uero, siue gau-  
dium non carnale est, sed spiritus sancti: ergo & for-  
tissimum, cui portae inferorum praeualere nō possunt.

et æternum, quod ne mors quidem interrumpet. Vbi  
 uera fides est, quod tu in Christo accepisti remissionē  
 peccatorum, quod in Christo factus es filius dei, et  
 heres omnium, facile atq; ad eō cum gaudio suscipies  
 quicquid benigna patris manus tibi intulerit, quacū-  
 que tandem occasione. Experientia, non litera te ista  
 docebit, sicut dicitur ad Heb. 12. Omnis castigatio in  
 præsens quidem nō uidetur esse gaudiū, sed molestia:  
 at postea fructum tranquillum iustitiæ reddit ijs, qui  
 per illam fuerint exercitati. Hæc quoq; in Christo ui-  
 dimus, cuius tametsi omnis uita nihil aliud quàm crux  
 fuerit, ad profectum tamen euangelij exultauit in spi-  
 ritu sancto: id quod legis Lucæ 10. Quo gaudio nun-  
 quàm caruit: certus enim erat se benignū habere pa-  
 trem, quamuis tantis malis quandoq; obrutus sit, ut  
 hoc gaudium sentire non potuerit: sed uere, et ex cor-  
 de clamauerit se à deo derelictum. id quod uides sepe  
 in psalmo, ne et tu desperes, si quid tale quandoque  
 senseris.

**Fides uestra, quæ est in deum.**

Non in opera, aut studia uestra, aut res quascunq;  
 externas, siue (ut Paulus uocat) elementa mundi. Itē  
 non in simulachra aurea et argentea, quæ sunt nunc  
 mammon, et auaricia quæ est idolorū cultus. In qua-  
 cunq; enim re fiduciam tuam ponis, illa est deus tuus:  
 et impossibile est ut habeas deum uerum, si in alia re

ANNOT. IOANNIS POMERANI

confidis, quantūcunq; etiam sancta, aut homine quantūcunq; sancto. Maledictus enim homo qui confidit in homine etc. Hiere. 17. Deo solo fidendū, secū dū primū præceptū, Non habebis deos alienos corā me. Hic est deus uiuens, uitæ author & uiuificator: deus quoq; uerax, salutem uerè tribuens ijs qui credunt eius promissioni. Quandoquidem nec mentiri nec fallere potest. Cætera omnia mortis sunt nihil minus præstāta, quā quod promittunt.

Vt non sit uobis opus loqui.

In his duabus epistolis non tractat fidem, ut in alijs, licet omnia quæ hic & ubique scribit, ad fidem pertineant. Iustificatis ergo cum scribat, non opus est eis loqui, ut fidem suscipiant: sed egent tantum admonitione, ne neglectu uerbi, aut pereat quod paratum est, aut non augeatur quod seminatum est. Non enim in  
*non h. 4* solo pane, &c. Non est, inquam, opus eis loqui: quia iam habent uerbum, docti à deo per ministerium prædicatorum: quemadmodum inuitatis amicis ad grande conuiuium, ubi omnia parata sunt, & ubi editur, bibitur, &c. Nihil aliud opus est, quā ut sepe moneantur ab illo qui inuitauit, ut quæ conuiuij sunt prosequantur gaudio, &c.

Et expectaretis.

Hæc est fiducia Christianorum, ut expectent letj

redemptorem, quem alij formidant iudicem. Sicut Christus dicit, Lucae 21. His fieri incipientibus, &c. ad Rhom. 8. Vanitati, &c.

Quem excitauit.

Hoc dicit, ne dubitemus & nos excitandos, neue dubitemus de potentia Christi regis nostri, in cuius regno perire non possumus, qui excitatus accepit potestatem omnē in caelo et in terra, cōstitutus ad dexterā patris supra omnem principatum & potestatem, & uirtutem &c. ad Ephe. 1. Resurrectionē Christi Paulus nusquā non inculcat, quia in ea uere regnū Christi agnoscimus, ubi triūphata morte nostra, accepit gentes hereditatem, & possessionem suam terminos terrae, & fecit utraq; unum.

Ira uentura,

Est ira dei aeterna, quae est iam quidem super omnes incredulos: sed nondum reuelata est, idcirco uentura dicitur. Sicut enim nos sumus filij dei, & nondū apparuit quid erimus. 1. Ioannis 3. ita increduli sunt filij geennae: quod tum primum reuelabitur, quando manifesta erunt abscondita tenebrarum. Ab ista ira nemo liberatur nisi per fidem in Christum, sicut dicit Ioannes baptista & Ioannis 3. Qui credit in filium, habet uitam aeternam: qui autem incredulus est filio, nō uidebit uitam, sed ira dei manet super eum.